

hoc mysterium, nam revera, quod primo Deus decrevit, nihil aliud fuit quam humanitatem uniri Verbo. Unde argumentor tertio, quia gratia unionis in tempore humanitati conferitur, et ad illam suscipiendam ab æterno ordinata seu prædestinata est, non in alio seu per aliud, sicut pars potest dici ordinari cum toto ad aliquod bonum, sed in se, et per se, quia gratia per se primo illi fit; ergo optime potest denominari prædestinata ad hanc unionem. Immerito ergo Medina hoc loco scribit in hæc verba: Est etiam quidam novitius Theologus, qui affirmat prædestinationem ad beatitudinem esse quidem personæ, sed quod prædestinatio ad unionem hypostaticam non est personæ, sed naturæ, quæ assumpta est ad unionem hypostaticam; sed isti non intelligunt quæ loquuntur. Hæc ille: qui si antiquos Theologos consulisset, sententiam hanc non attribuisset alicui novitio Theologo, neque eos, credo, diceret esse locutos quæ nesciebant. Præsertim cum distinctio illa expresse sit S. Thom. in citato loco. Et quod valde admiror, ipsemet statim docet, recte, et vere dici naturam humanam esse prædestinatam, quod nec recte, nec proprie dici potest de prædestinatione ad beatitudinem, ut optime D. Thomas docuit; intelligendum ergo necessario est de prædestinatione ad unionem hypostaticam, ut ipse statim declarat. Cur ergo aliis imponit eos non intelligere quæ loquuntur, cum vera loquantur, ipso etiam approbante? Quin potius addo, juxta mentem D. Thom., hic humanitatem non esse dicendam simpliciter prædestinatam, sed solum cum illo addito, *ad unionem hypostaticam*, quia prædestinatio absolute dicta, juxta communem usum hujus vocis, absolute, inquam, dicta, supposito tribuitur, non naturæ; proprie enim divina providentia versatur circa supposita, vel personas quas gubernat; circa naturas vero, non nisi ratione suppositorum; et ideo prædestinatio, quæ est pars hujus providentiæ, absolute dicta, refertur ad suppositum. Item quia prædestinatio aliorum hominum vel Angelorum absolute dicta refertur ad beatitudinem, ad quam humanitas non fuit proprie prædestinata; prædestinatio autem Christi immediate, et per se terminata est ad ipsum Christum, et ideo simpliciter et absolute Christus est prædestinatus; humanitas vero quamvis per eandem prædestinationem ordinata sit ad unionem hypostaticam, non tamen fuit simpliciter prædestinata, sed (ut ita dicam) comprædestinata; et ideo non

debet denominari prædestinata, nisi adjungendo terminum talis prædestinationis, quo explicetur illam esse prædestinatam per modum naturæ, et non per modum suppositi.

QUÆSTIO XXV.

DE ADORATIONE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ pertinent ad Christum in comparatione ad nos. Et primo de adoratione Christi, qua, scilicet, nos eum adoramus. Secundo, de hoc quod est Mediator noster ad Deum.

Et circa primum queruntur sex.

Primo, utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et ejus humanitas.

Secundo, utrum caro Christi sit adoranda adoratione latræ.

Tertio, utrum adoratio latræ sit exhibenda imagini Christi.

Quarto, utrum sit exhibenda cruci Christi.

Quinto, utrum sit exhibenda matri ejus.

Sexto, de adoratione reliquiarum Sanctorum.

Quamquam actus adorationis in genere sumptus ad totam Trinitatem, et ad Christum Deum hominem, et suo modo ad Sanctos, et ad res alias, de quibus in sequentibus dicemus, terminari possit seu referri, et ideo hæc materia non videatur hujus loci propria, sed ad tractatum de virtutibus pertinere, ubi de religione agitur, cujus actus est adoratio, ut constat ex 2. 2. q. 81 et 84, auctores tamen omnes, qui doctrinam de hoc mysterio tradiderunt, simul de adoratione Christi disputant, quia hæretici, sicut in explicando hoc mysterio incarnationis errarunt, ita de adoratione Christo debita male senserunt. Propter quod etiam Concilia, quæ veritatem hujus mysterii definierunt, simul errores damnant circa Christi adorationem, et veram simul de adoratione doctrinam docent. Propter hanc ergo causam D. Thom., cum aliis Theologis, in tertio, distinct. 9, de adoratione hoc loco disseruit; quam nos fusius persequemur, ut melius tota de adoratione doctrina comprehendere possit, et complete, ac perfecte tradi; et nonnulla principia necessario petenda erunt ex citato loco 2. 2. sine quibus fieri non potest ut doctrina hæc recte intelligatur.

ARTICULUS I.

Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi, et ejus humanitas¹.

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod non eadem adoratione adoranda sit humanitas Christi et ejus divinitas. Divinitas enim Christi est adoranda adoratione quæ est communis Patri et Filio; unde dicitur Joannis 5: Omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Sed humanitas Christi non est communis ei et Patri. Ergo non eadem adoratione adoranda est humanitas Christi et ejus divinitas.*

2. *Præterea honor est proprie præmium virtutis, ut Philosophus dicit in 4. Ethicorum². Meretur autem virtus suum præmium per actum. Cum igitur in Christo sit alia operatio divinæ et humanæ naturæ (ut supra habitum est³), videtur quod alio honore sit veneranda humanitas Christi, et alio ejus divinitas.*

3. *Præterea, anima Christi, si non esset Verbo unita, esset veneranda propter excellentiam sapientiæ et gratiæ, quam habet. Sed nihil dignitatis est ei subtractum per hoc quod est unita Verbo. Ergo natura humana in Christo est quadam propria adoratione veneranda, præter venerationem quæ exhibetur divinitati ipsius.*

Sed contra est, quod in capitulis quintæ Synodi sic legitur⁴: Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum (ex quo duæ adorationes introducuntur), sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.

Respondetur dicendum, quod in eo qui honoratur, duo possumus considerare, scilicet, eum cui honor exhibetur, et causam honoris. Proprie autem honor exhibetur toti rei subsistenti; non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur. Et si quandoque contingat quod dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur to-

¹ Infra, q. 56, a. 3, corp., fin., et ad 1. Et 3, d. 9, q. 1, a. 2, q. 1, et d. 39, a. 1, ad 4; et Ver., q. 29, art. 4, ad 4.

² C. 3, tom. 5.

³ Q. 19, art. 1.

⁴ In Conc. II Constant., quod est V generale, canon. 9.

tum, per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste, aut in imagine, aut in nuntio. Causa autem honoris est id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam. Nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam, ut in secunda parte dictum est¹. Et ideo si in uno homine sunt plures causæ honoris (puta prælatio, scientia, et virtus), erit quidem illius hominis unus honor ex parte ejus qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris; homo enim est qui honoratur, et propter scientiam, et propter virtutem. Sic ergo cum in Christo sit tantum una persona divinæ et humanæ naturæ, et etiam una hypostasis, et unum suppositum, est quidem ejus una adoratio et unus honor ex parte ejus qui adoratur. Sed ex parte causæ qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, ut, scilicet, alio honore honoretur propter sapientiam increatam, et alio propter sapientiam creatam. Si autem ponerentur in Christo plures personæ seu hypostases, sequeretur quod simpliciter essent plures adorationes. Et hoc est, quod in Synodi reprobat. Dicitur enim in Capitulis Cyrilli²: Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, et non potius una adoratione honorificat Emmanuelem, secundum quod factum est caro Verbum, anathema sit.

Ad primum ergo dicendum, quod in Trinitate sunt tres qui honorantur, sed est una causa honoris. In mysterio autem incarnationis est e converso. Et ideo alio modo est unus honor Trinitatis, et alio modo est unus honor Christi.

Ad secundum dicendum, quod operatio non est quæ honoratur, sed est ratio honoris. Et ideo, per hoc quod in Christo sunt duæ operationes, non ostenditur quod sint duæ adorationes, sed quod sint duæ adorationis causæ.

Ad tertium dicendum, quod anima Christi, si non esset unita Dei Verbo, esset id quod est principalissimum in homine illo: et ideo sibi præcipue deberetur honor, quia homo est id quod est potissimum in eo. Sed quia anima Christi est unita personæ digniori, illi personæ præcipue debetur honor, cui anima Christi unitur. Nec per hoc tamen diminuitur dignitas animæ Christi, sed augetur, ut etiam supra dictum est³.

¹ 2. 2. q. 103, art. 1.

² Habetur in Concil. Ephes., cap. 26.

³ Q. 2, art. 2, ad 2.

ARTICULUS II.

Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ¹.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod humanitas Christi non sit adoranda adoratione latriæ. Quia super Psal. 98: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, dicit Gloss.²: Caro, a Verbo Dei assumpta, si ne impietate adoratur a nobis; quia nemo carnem ejus spiritualiter manducat, nisi prius adoret; non illa dico adoratione quæ latria est, quæ Creatori debetur. Caro autem Christi est pars humanitatis. Ergo humanitas Christi non est adoranda adoratione latriæ.

2. Præterea, cultus latriæ nulli creaturæ debetur; ex hoc enim reprobantur Gentiles, quod coluerunt et seruiertur creaturæ, ut dicitur Rom. 1. Sed humanitas Christi est creatura. Ergo non est adoranda adoratione latriæ.

3. Præterea, adoratio latriæ debetur Deo in recognitionem maximi dominii, secundum illud Deuteron. 6: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruiertur. Sed Christus, secundum quod est homo, est minor Patre. Ergo humanitas ejus non est adoranda adoratione latriæ.

Sed contra est quod Damascenus dicit in 3 lib.³: Adoratur autem caro Christi incarnato Verbo Deo, non propter seipsam, sed propter unitum ei secundum hypostasim Verbum Dei. Et super illud Psal. 98: Adorate scabellum pedum ejus, dicit Glossa⁴: Qui adorat corpus Christi, non terram intuetur, sed illum potius cujus scabellum est, cujus in honore scabellum adorat. Sed Verbum incarnatum adoratur adoratione latriæ. Ergo et corpus ejus, sive ejus humanitas.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est⁵, honor adorationis proprie debetur hypostasi subsistenti; tamen ratio honoris potest esse aliquid non subsistens propter quod honoratur persona cui illud inest. Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut sit ejus sicut rei adorata; et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum;

¹ 3, d. 9, q. 1, a. 2, q. 1, et q. 4, ad 1.

² Glos. ord. ibi, ex August. ibid., tom. 8.

³ Orthod. fid., c. 3, circ. prin.

⁴ Est August. ibid., tom. 8.

⁵ Art. præc.

sicut adorare vestem regis, nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ sit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed adoratio dulciæ. Ita, scilicet, quod una et eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ propter suam divinitatem, et adoratione dulciæ propter perfectionem humanitatis.

Nec hoc est inconueniens: quia ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter deitatem, et honor dulciæ propter dominium, quo gubernatur creaturam. Unde super illud Psal. 7: Domine Deus meus, in te speravi, dicit Glossa¹: Dominus omnium, per potentiam, cui debetur dulcia; Deus omnium per creationem, cui debetur latria.

Ad primum ergo dicendum, quod Glossa² illa non est sic intelligenda, quasi seorsum adoretur caro Christi ab ejus divinitate; hoc enim posset contingere solum hoc modo, si esset alia hypostasis Dei et hominis. Sed quia, ut Damascen. dicit³, si dividat subtilibus intelligentiis⁴ quod videtur, ab eo quod intelligitur, inadorabilis est ut creatura, scilicet adoratione latriæ. Et tunc sic intellectæ, ut separatæ a Dei Verbo, deberetur sibi adoratio dulciæ; non cujuscunque (puta, quæ communiter exhibetur aliis creaturis), sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.

Et per hoc etiam patet responsio ad secundum et tertium; quia adoratio latriæ non exhibetur humanitati Christi ratione suiipsius, sed ratione divinitatis cui unitur, secundum quam Christus non est minor Patre.

Quæ circa expositionem horum articulorum notari possent, melius in sequenti disputatione tradentur.

DISPUTATIO LI.

In tres sectiones distributa.

DE ADORATIONE CHRISTO, UT DEO, DEBITA.

Quoniam Christus, Deus et homo est, antequam doceamus qua adoratione adorandus

¹ Glos. interlinealis, ibid.

² Citata in argum. 1.

³ Lib. 3, c. 3, circ. prin.

⁴ Epinæis, id est, cogitationibus seu mentis conceptibus.

sit, oportet nonnulla de divina et humana adoratione dicere, seu de illa quæ Deo debetur, et quæ hominibus communicari potest. Prius tamen, quid adoratio sit, et quotuplex, quibusve nominibus significari soleat, declarare necesse est.

SECTIO I.

Quid sit adoratio, et cujus virtutis actus sit.

1. Honor quid sit, et quomodo se habeat ad adorationem. — Adoratio, inquit Damascenus, orat. 1 de Imaginibus, prope ab initio, est submissionis et humiliationis nota; et orat. 3: Est, inquit, animi cedentis, submissi atque humilis significatio, quæ descriptio ex vocis significatione et communi omnium hominum usu sumpta est; significat ergo adoratio actum quo unus alteri se submittit, vel illum honorat in recognitionem excellentiæ ejus. Ad quod amplius explicandum, oportet has voces distinguere, et earum proprias significationes, scilicet, honorare, revereri, venerari, colere, laudare, et glorificare; hæc enim omnia ad adorationem pertinere possunt, et multum cum illa et inter se conveniunt, quamvis non nihil etiam differant. Honor ergo, ut ex Augustino colligitur, lib. contra Sermonem Arianorum, c. 23, latius patet quam adoratio: Honorat enim, inquit, omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat, nam honor potest esse ad æqualem, juxta illud ad Rom. 12: Honore invicem prævenientes, adoratio vero respicit alium, ut excellentem et superiorem; unde recte D. Thomas 2. 2, q. 103, art. 1 et 2, inquit honorem esse signum excellentiæ vel virtutis, sive absolute consideretur, sive per comparisonem ad honorantem, sive ad alios; habet autem rationem adorationis quando est signum excellentiæ per comparisonem ad honorantem, qui scilicet honorat alium tanquam superiorem cui se submittit. Comparantur ergo hæc duo per modum generis et speciei, quia honor ut sic tantum est quoddam signum bonitatis ejus, qui honoratur, ut indicavit Aristoteles, lib. 4 Ethic., c. 3, et l. 8, c. 8; et ibi clarius D. Thomas explicuit, lect. 8; adoratio vero includit honorem, et addit submissionem et recognitionem excellentiæ ejus qui adoratur, respectu adorantis, ut Damasc. dixit. Quocirca, cum D. Thomas hic, art. 1, adorationem videtur cum honore confundere, loquitur juxta subjectam materiam, quia adoratio quidam honor est, et eodem modo accipiendum est

quod dixit Anast., Episc. Theopoleos, in VII Synod., act. 4, adorationem esse *emphasim honoris*, id est, symbolum, ut ibidem paulo inferius Tharadius declaravit. Est autem *emphasim*, si vim verbi attendamus, non quodcunque signum, sed quo plus significatur quam aperte dicatur seu exprimitur, et ita illa voce indicatum videtur, adorationem esse symbolum honoris, quo insignis et superior excellentia indicatur. Huc etiam spectat quod Arist., l. 2 magnorum Moral., cap. 11, dixit, *gloriæ cupidum eminentiam affectare*; lib. autem 1 Rhetoric., c. 5, dicit, *honorem esse existimationis benefactivæ indicium*, quæ non videtur adæquata definitio honoris, sed cujusdam speciei illius notioris et magis usitata, quæ ad adorationem pertinet; statim vero subdit: *Honorantur maxime, atque merito, qui beneficia contulerunt, deinde qui conferre queunt*; ad hoc autem posterius membrum possunt omnes studiosi, vel in dignitate constituti, revocari, et hoc modo potest illa definitio facile ad omnes honores adaptari.

2. *Veneratio et cultus quid.* — Hæc autem, quæ de honore dicta sunt, eodem fere modo de cultu et veneratione intelligi possunt, quia hæc duæ voces idem fere quod honor significare videntur; colere enim, venerari, et honorare, latine fere æquivalent, unde fit ut eandem habitudinem seu rationem respectu adorationis habeant. Est enim adoratio quædam veneratio, et quidam cultus; addit vero prædictam submissionem et recognitionem alterius ut superioris; unde August., lib. 10 de Civit., cap. 4, circa fin., cum dixisset, de hominibus dici posse quod sunt colendi et venerandi, subdit: *Si autem eis multum addiderit, et adorandi.*

3. *Laus et gloria quid sint.* — Eodem fere modo de laude et gloria loquendum est; laus enim est quædam species honoris, ut Aristoteles dixit, 1 Rhetor., c. 5; quanquam enim idem Aristoteles, 1 Ethic., c. 12, et D. Thomas 2. 2, q. 103, a. 1, ad 3, dicant, *honorari ea quæ per se bona sunt, laudari vero quæ ad alia sunt utilia*, non est tamen intelligendum, laudem solum circa utilia versari, sed ad illa extendi; alioqui enim certum est etiam ea, quæ per se maxime bona sunt, maxime posse laudibus extolli, sic enim et Sanctos et Deum ipsum laudamus. Hæc ergo laus honor quidam est; et si cum debita submissione et recognitione fiat, rationem adorationis habet. Gloria vero idem fere est quod honorifica laus; addit enim effectum quemdam, quem